

D i s s e r t a t i o

inauguralis medica

d e

S c a r l a t i n a

quam

consensu, et auctoritate

Magnifici Domini Praesidis ac Directoris

Spectabilis Domini Decani

ac totius

Incl. Facul. Med.

in alma ac celeberrima

Regia Scientiarum Universitate Pesthiensi

publicae eruditorum disquisitioni

submittit

Stephanus Horner,

Hungarus Ullöiensis

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis majori die Martii 1832.

Pesthini,

Typis Trattner-Károlyianis.

1891

Journal of the

of

Journal

of

the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

Journal

of the

of the

of the

of the

of the

of the

ILLUSTRISSIMO DOMINO

G E O R G I O

ET LIBERIS BARONIBUS

O R C Z Y

DE EADEM

S. C. ET R. A. MAJESTATIS CAMERARIO
A C T U A L I

PLURIUM I. COMITATUUM TABULAE JUDICIA-
RIAE ASSESSORI.

V I R O

PRINCIPI AC PATRIAE CARO,

SCIENTIA, MERITIS, AC BENEVOLENTIA

I L L U S T R I

SUMMO LITERARUM CULTORIE T

PROMOTORI

MAECENATI GRATIOSISSIMO

IN PROFUNDAE VENERATIONIS TESTIMONIUM TENUES

HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS SACRAS ESSE

VULT

DEVINCTISSIMUS, HUMILLIMUS

AUCTOR

Scarlatina est exanthema acutum, contagiosum, quod inchoat cum febris jam mitiori, jam intensiori isthmitidi juncta, qua ut plurimum per viginti quatuor horas praegressa, comparent in cuti maculae rubrae, absque pruritu, absque dolore, quae postquam per 4, 6ve dies perdurassent, desquamatione cutis terminatur, dispositione in hydropem relicta.

Scarlatina est morbus antiquissimus, nam Thucydides Athenis meminit epidemiae, cujus symptomata cum iis Scarlatinae congruebant. Natura tamen morbi saeculo tantum 16. rectius examinata, ac descripta est.

Characteres enumerati scarlatinam quidem ab omni alio exanthemate distinguunt; Diagnosi tamen ejus multis premitur difficultatibus ob decursum, atque symptomata multum variabilia. Experientia namque constat Scarlatinam diverso tempore, sub climate vario, et in diversis individuis indole sua multum differre, jamque mitem esse, jam vero gravioribus incedere symptomatibus, aut malignam plane prodere naturam. Sic Cel. Heim describit epidemias, ubi inter sex aegros unus sine exanthemate repertus est, quod assertum multis absurdum videbatur, esset enim in hoc casu Scarlatina absque Scarlatina, dubitari tamen de veritate hujus Sententiae non potest, nam essentia morbi nequaquam in maculis in cuti visibilibus consistit, sed in morbo totius organismi. Sic visa est persaepe Scarlatina, quin Isthmitis adfuisset. In casu ejusmodi dubio Cel. Heim criterium unum communicat, ex odore peculiari desummendum. Assertit nimirum Auctor celebrius in aegris ex Scarlatina decumbentibus similem odorem adesse, qualis est in cubilibus antiquis halecibus, vel caseo au-

tiquo repletis; vel comparat odorem Scarlatinae cum illo, qui in locis, ubi fera animalia Tigrides. Leones etc. servantur, persentitur.

Quoniam Scarlatina semper fere per contagium peculiare, de homine in hominem translato concitetur, ac propagetur, hinc naturam hujus contagii nosse oportet, recta tamen hujus cognitio hucdum desideratur, ea, quae per experientiam innotuerunt, sunt sequentia: Generatur contagium hocce per morbum specificum in corpore ipso, et transfertur de homine in hominem per infectionem immediatam. Potest etiam per influxus, atque mutationes diversas atmosphaerae generari, ac hominibus sanis communicari, sic etiam rectius explicatur propagatio morbi in remotas regiones. — Observatur morbus omni anni tempore, frequentius tamen autumno, ubi humiditas cum frigore alternat, Cel. Reich contagium omne in Scarlatina negat, morbum ad evolutionem corporis humani, necessarium esse dicens eadem fere ratione, ut aves pennas, serpentes pelles mutant, homini cutim ponendam esse, hic secessus epidermidis fit cum accumulatione calorigi, per quam Scarlatina evolvitur. — Vehicula hujus contagii sunt: materia perspirabilis cutis, et halitus oris, haec vehicula per processum morbosum in corpore generantur, et debent critice quasi rursus eliminari. Excretio eorum fit per cutim sed ut plurimum imperfecte; nec tamen haec sola, atque unica via est, sed et membrana mucosa organorum respirationis, hac frequentius adhuc deglutitionis eminenter adficiuntur, hinc Scarlatinam fere constanter concomitatur Isthmitis, quae saepe latius in Oesophagum, tubum cibarium (hinc symptomata gastrica) saepe vero in organa cholopoctica (unde symptomata biliosa) extenditur. — Contagium hoc est volatile, ergo etiam in majori distantia absque cou-

tactu suscipi potest; in uno eodemque homine quem adgreditur facile deserit locum quem antea occupavit, et occupat alium, hinc frequentes adfectiones Systematis nervosi, et praecipue cerebri. — Adhaeret contagium Scarlatinae etiam utensilibus, vestibus, quae si recludantur, longiori tempore contagium immutatum recondunt. Denique contagium hocce requirit dispositionem peculiarem. — Tandem constat, dispositionem hanc per morbum semel perpeßsum deleri, quin inde negemus dari exempla Scarlatinae in uno individuo bis terve recurrentis,

D i a g n o s i s.

Si in evolutionem Scarlatinae adtentionem nostram dirigamus, dum regulariter decurrit, sequentia distingvimus Stadia :

1mo Stadium infectionis.

2do Stadium invasionis, effervescentiae, s. febrile.

3tio Stadium eruptionis, exanthematicum, efflorescentiae.

4to Stadium desquamationis.

Stadium 1mum infectionis, durat per momentum, quo nimirum contagium homini sano communicatur. Cognosci nec per exactissimum quidem observatorem potest, reflexione solum ad occasionem suscipiendi definiri potest. Haeret hocce contagium in organismo, quin sanitas hominis v. minime perturbetur jam breviori, jam longiori tempore pro diversa constitutione individuali, per 24 horas, communissime tamen per dies quinque, et tunc comparet.

Stadium 2dum invasionis, effervescentiae, s. febrile. Incipit cum feбри, praevia quadam lassitudine, horripilatione ac calore insequente, ad vespertas quidquam adaucto. Caput

est grave, appetitus prostratus, pulsus durus, irregularis, sed frequens, cutis est arida, et parum prurit. Cavum oris, ac faucium est siccum, et hoc ultimum dolet, ac rubet, qui dolor ac phlogosis deglutitionem magis adhuc molestam reddunt, et nunc saepe cruenta observatur salivatio. Hic faucium tumor interdum glandulis tum submaxillaribus, tum parotideis communicatur, et ad ipsam interdum laryngem penetrasse, vocemque, sub difficili admodum respiratione, ac suffocationis periculo, aut omnem suppressisse, aut metallicum illum, cynanchi tracheali communem sonum produxisse, conspectus est. Apud individua irritabiliora observatur jam sub hoc stadio cephalaea gravissima, inquietudo, anxietas, deliria, convulsiones, saepe vomitus, epistaxis, quae non raro in aegri salutem comparent — Stadium hoc febrile durat per 24. saepius per 48 horas, et ubi symptomata enumerata intensiora fiunt, ut plurimum inchoat:

Stadium 3tium exanthematicum, eruptionis, efflorescentiae; exacerbatione nempe febrili intensiori praegressa, noctu contingit eruptio ita, ut jam mane cutis maculis ruberrimis, vel minoribus, vel majoribus mox interse confluentibus, primo ut plurimum ad faciem, jugulum, pectus, brachia, mox vero ad maximam externae superficiei partem extensis, obiecta observetur. Quo intensior est exacerbatio, et quo latius diffusum est exanthema, eo magis cutis redditur turgida ac tumida, et saepe tunc evolvuntur dolores in artubus. Rubor cutis similis est rubori, quasi per vinum rubrum sub epidermide diffusum induceretur, aut rubori cocti cancri. —

Facta eruptione symptomata febris remittunt, imo saepe ex integro disparent, sed Isthmitis remanet, imo saepe intensior redditur. Calor in hoc stadio est exaltatus, cutis tangitur arida,

pulsus durus frequens. — Symptomata gastrica sub fine hujus Stadii se ut plurimum insinuant, lingua nempe impura, dolor pressivus in regione epigastrica, et alvus raro diarrhoica, frequentius obstipa. Durat hoc Stadium per dies 4—9. et tunc incipit.

Stadium 4tum desquamationis. Rubor magis, magisque imminuitur, tandem vero disparet, atque tunc ordine, quo maculae efflorescebant, et quo tempore fere novae in aliis partibus propullulant, epidermis exsiccatur, ac in furfures, vel squamulas decidit. Quo magis universale fuit exanthema, eo majori copia supervenit desquamatio, et repetitur non raro etiam post dies 6. aut 8. — Si angina intensior fuit, species desquamationis in partibus etiam interioribus observatur. Sub hoc Stadio contingunt etiam evacuationes criticae per sudorem, urinam, atque alvum, ita ut cutis antea arida nunc sudore largo perfundatur; urina prius limpida, sedimentum album, puriforme deponat, alvus sub exordio morosa, nunc pultacea, largior evacuetur. Durat hoc Stadium jam paucis diebus, jam vero desquamatione saepius recurrente per plures etiam septimanas.

Stadio desquamationis hac ratione absoluto, sanitas non ubique ex integro revertitur, sed saepe saepius contingunt Metastases diversi generis, et sic decursus normalis Scarlatinae turbatur, et vita aegri novis periculis exponitur. Haec pericula facilius insequuntur, si decursus Scarlatinae irregularis fuit, vel penes regularem decursum, celeriter terminabatur. Si cura diaetetica, aut therapeutica perversa adhibita fuit, vel si constitutio individualis, aut genius epidemiae ita perversae sint. Metastases has cum probabilitate praenuntiamus, si desquamatio sit

excessiva, si atmosphaera sit corrupta, si crises imperfecte contingebant.

Inter metastases frequentissime occurrit Hydrops. Hunc praevidemus saepe, dum urina sub decursu morbi parca fluit quantitate, et fusco, aut bruneo tingitur colore. Aeger nimirum elapsis circiter 14. vel 18. a primario morbo diebus, rursus corripitur feбри, non raro et Isthmitis recrudescit, pulsus redduntur frequentiores, atque inter symptomata febrilia, primo alterove die facies redditur cachectica, tumidula, ac palpebrae oedematosae vix non oculos perfecte claudunt, intumescunt pedes, crura, genitalia, universa cutis, accedit abdominis tumor fluctuans, vel tussis sicca, dispnoea, pectorisque aut menyngum interdum, cerebrique hydrops. atque per hos hydropes evolutos Scarlatina, quae sub decursu suo exanthematico mitissima fuit, nunc periculosa evadit. Decursus hydropum memoratorum est fere semper acutus, atque nunc cum feбри inflammatoria, nunc cum debilitate a morbo inducta majori incedit, et jam ex nimia Systematis lymphatici irritabilitate, vel et spasmodico cutis habitu, jam ex saburra in ventre imo collecta, frequentissime vero ex suppressa transpiratione originem repetit.

D i v i s i o.

Scarlatina varie dividitur, et quidem:

Imo quoad extensionem macularum,

a) in universalem, dum nulla pars cutis est absque maculis.

b) in partialem, dum maculae ad unam tantum corporis partem restringuntur, hoc in casu breviori perdurant tempore, saepe evanescent, iterumque revertuntur; ne igitur in Diagnosi error committatur, necesse est internam superli-

ciem brachii, atque femorum scrupulose investigare, cum in his regionibus plurimum visibiles sint maculae, etiamsi in aliis deficient. Species una scarlatinae partialis est variegata, dum exanthema per cutim universam diffusum quidem est, ita tamen, ut aliquae partes intermediae cutis maneant intactae.

2do Quoad formam, distingvimus inter *Scarlatinam glabram*, et *miliarem*. — *Scarlatina glabra*, plana, laevigata illa dicitur, dum in cuti nullae elevationes observantur, sed epidermis ubique aequabilis conspicitur. — *Scarlatinam vero miliarem* illam adpellamus, ubi in superficie cutis elevationes, vesiculae nempe jam majores, jam minores discernuntur; et haec species *Scarlatinae* jam est stricte *miliaris*, dum vesiculae non excedunt magnitudinem seminum milii; jam vero vesicularis *phlictenodes*, vel nonnullis etiam *pustulosa*, dum magnitudine adaequant pisum. Adnotatur a Cel. Hildebrand etiam *Scarlatina pemphigodes*, dum vesiculae sunt magnitudinis nucis avellanae. Cel. Hahnemann differentiam hanc formalem scarlatinae, essentialem statuit, atque suis observationibus innixus, contra scarlatinam planam, belladonnam, contra miliarem vero aconitum ut remedia prophylactica commendat. Quamvis viri celeberrimi, ut Richter, J. P. Frank, Willam, Battemann, Conradi, Raimann, Göden, Vendt, Heim doctrinam hanc Hahnemannii non agnoscant, negari tamen non potest, juxta fide dignas observationes Cel. Kreisig, tempore epidemiarum, quo miliaria maligna regnant, his saepe scarlatinam sociari, atque adeo pericula quoque augeri.

3tia et simul maxime essentialis differentia *Scarlatinae* desummitur a febre concomitante, et secundum hanc distingvitur:

a) **Scarlatina cum febris inflammatoria**; hunc characterem omnis quidem scarlatina sub exordio habet, sed mitiorem; non raro tamen status inflammatorius altiorem gradum attingit, et sic decursus etiam morbi variis modificationibus obnoxius redditur. Pulsus tangitur durus, et plenus, respiratio brevis, calor animalis exaltatus, secundum observationes a Cel. Currie institutas, calor est 105—112 grad. therm. Fahr. Isthmitis quoque redditur gravior, collum evadit tumidum adeo, ut deglutitio omnis impedita sit. Saepe Isthmitis penes omnia etiam symptomata statum inflammatorium graviorem exhibentia deest, quod phenomenon statum aegri valde dubium reddit, cum in hoc casu plerumque aliorum organorum nobiliorum inflammationes locum habeant, ut menyngum, cerebri, tunc dolor capitis est summus, deliria vehementia, continua vel cum sopore alternantia, cum inquietudine summa, pulsu irregulari, lucis impatientia. Saepe evolvuntur inflammationes laryngis, tracheae, bronchiorum, et tunc adest dispnoea, tussis violenta, metus suffocationis; — Alias adest inflammatio organorum cavi pectoris, alias vero cavi abdominis. Sic Cel. Brussels defendit in omni Scarlatina adesse gastro-enteritidem, et tantum per consensum extenditur inflammatio in fauces, inde vero in cutim externam, hoc tamen assertum sectiones cadaverum nequaquam in singulo casu comprobant. Sub his adjunctis saepe observatur epistaxis, aegro ut plurimum levamen adferens. Hic status inflammatorius gravior saepe sub stadio invasionis inchoat, et usque finem morbi praesens est, saepe saepius tamen si aegro in hoc statu levamen non adferatur, in statum oppositum, nervosum transit.

b) **Scarlatina cum febris nervosa**, rarissime protopathica primaria, frequentius deu-

teropathica secundaria. Talis jam ab antiquissimis Scriptoribus adnotata, et saeculo 16. a Germanis, saeculo vero 17. ab Italis quoque medicis descripta fuit. J. P. Frank etiam cynanche nervosam, gangraenosam vocat. Hanc Scarlatinam cum febris nervosa decurrentem, praecursum puellas, laxiores homines, imprimis facinorasam, vel mox a suscepto contagio, vel post dies ut plurimum 7. praecedunt lassitudo, debilitas, morositas, tristitia, sequitur horror ac frigus evidentius, cum calore, dolore capitis ad frontem acutissimo, adest anxietas, et vomitus ac diarrhoea saepe effrenis; pulsus frequentes, inordinati ac parvi, rarissime sub initio morbi duriores, ac pleni; in priori casu sanguis emissus, mollioris consistentiae aut dissolutus, in posteriori autem corio interdum obiectus est. Sub majori morbi vehementia, summa adest virium prostratio, sequuntur lypothymiae, anxietates, suspiria, vigiliae aut sopor, capitisque aut dolor, aut stupor, ventriculi oppressio, oculi fere turbidi aut rubri, lacrymantes. Illis accedit adfectio cavi faucium, hoc nimirum dolet, rubet, sensum plenitudinis atque constrictionis causat, vox evadit rauca, et deglutitio aliquantum difficilis. Noctu Symptomata enumerata augentur, deliria se insinuant, faucium imprimis adfectio exasperatur; atque tonsillae, velum pendulum, uvula, palatum profunde rubro, vel et igneo, aut erysipelaceo colore notantur, color hicce ruber sub ulteriori morbi decursu evadit lividus, imo nigricans, gangraena extenditur per fauces, lingvam, palatum, infra crustas nigras, sphacellosas, fissas secernitur ichor foetidus, sanguine mixtus.

Sub hac rerum funesta satis positione, vel jam prima die, vel ut plurimum secunda, interdum etiam tardius exanthema sicut jam descri-

ptum est, sed imperfecte, vel planum, ut plurimum miliare ad faciem, collum, pectus, brachia, crura, abdomen; aut maculae albescentes, ulcuscula, vel petechiae diversis in locis ad cutinumentem, dolentem, atque rigentem efflorescunt. Saepe in cuti prorumpit sudor largus, nihil allevians, ex naribus profluit ichor foetidissimus, labia erodens cum lethali morbi eventu. Succedunt deliria fere continua, lipothymiae frequentes, haemorrhagia effrenis per nares, uterum, intestina, singultus, subsultus tendinum, convulsiones, abolitio vocis, respiratio stertorosa, frigus extremitatum, ac tandem lethalis gangraena oesophagi usque ad ventriculum, aut tracheam, ac pulmones descendens.

In nonnullis status hicce nervosus citissime evolvitur, juxta Cel. Richter intra pauca minuta. Accidit hoc, si in subjectis jam antea debilibus, ad morbos asthenicos praedispositis, causis debilitantibus expositis, constitutione epidemica febribus asthenicis generandis favente, inflammatio organi alicujus nobilioris evolvatur, quae citissime in statum oppositum transit. Talis inflammatio frequentissime occupat ipsum cerebrum, quae si non cognoscatur, et resolutio illius remediis antiphlogisticis non acceleretur, mors subitanea subsequitur.

Quae causae, tam lethalem exitum provocare valeant? Medici inter se non consentiunt. Aliqui refrigerium, alii emetica et purgantia mature adhibita accusant. Maxime probabilis manet illa sententia, mortem subitam in hac specie Scarlatinae a primaria adfectione cerebri subsequi, quae adfectio dein provocari potest per diversos influxus externos, ut refrigerium, stimulantia etc. Juxta Cel. Richter saepe nulla causa encephalitis detegi potest, sed haec evolvitur per contagium Scarlatinae immediate ad cerebrum delatum.

Phaenomena, quibus mors ita subitanea se manifestat, sunt: aegri evadunt anxii, et inquieti, experiuntur nisum ad urinam evacuandam, quae copiosa, et simul aquosa est. Praeter haec observatur peculiaris mutatio in facie, oculi evadunt fixi, lucidi, et circa nasum pallor peculiaris visibilis redditur. Haec symptomata sequuntur deliria, convulsiones, vomitus, diarrhoea, sopor, et tandem mors apoplectica, quae juxta Cel. Richter saepe jam intra horas 8. locum habet.

c) *Scarlatina cum febre putrida etiam deuteropathica.* Haec species epidemice ut plurimum occurrit, nunquam vero sporadice. Apud nos ejusmodi epidemiae sunt rarissimae. Characteristicum signum hujus Scarlatinae statuitur ab Anglis medicis, gradus intensissimus Isthmitidis, quae cito in gangraenam transit, nihilominus ex observationibus Cel. Cullen constat, et in hac specie Scarlatinae saepe occurrere Scarlatinam absque Isthmitide, et hanc sine illa. — A Cel. Richter adnotatur adhuc peculiaris species Scarlatinae.

d) *Scarlatina cum febre gastrica,* dicit contagium Scarlatinae peculiarem inclinationem habere versus tubum intestinalem. Comprobat hoc vir egregius per observationes antiquissimorum ac recentissimorum Medicorum, de utilitate remediorum evacuantium; statuit ipsam adfectionem encephali saepe saepius a sordibus primarum viarum, praecipue vero bilis abnormitate provenire, hinc attentos reddit ubique medicos ad symptomata gastrica. Peculiare signum adfert febrim gastricam characterisans, nempe evolutionem tardiozem exanthematis, et decursum mitiorem Scarlatinae.

P r o g n o s i s .

Scarlatina pertinet inter morbos periculosissimos, et in morbo etiam mitiori prognosis semper cum restrictione aliqua pronuncianda est, ipsi Auctores etiam celeberrimi in suis opinionibus discrepant. Sic Sydenhamus exitum ubique pronuntiat lactum, ubi alii observatores funestum semper metunt. In genere assumere licet, periculum per Scarlatinam recentioribus temporibus multum increvisse. Dependet autem major vel minor probabilitas a diversis momentis, sic:

Imo a feбри concomitante. Optatissimus sperandus est exitus, ubi character morbi adest initior inflammatorius; quo gradus hujus fuerit altior, eo periculum gravius, hoc vero eo ipso per febrim nervosam, aut putridam augeri e supra dictis manifestum est, minus timere debemus, complicationem Scarlatinae cum feбри gastrica. Cum vero hae diversitates februm a characterē epidemiae regnantis potissimum dependeant, hinc hujus semper rationem habendam esse, luculenter patet. Accidit enim saepe saepius quod complicationes periculosissimae, nervosae aut putridae adsint, aeger tamen elabitur, characterē nimirum epidemiae mutato, ubi alias penes levissima pericula occumbit.

2do Ab adfectione locali vel jam praesente, vel adhuc evolvenda. Supra jam diximus periculosum phoenomenon Scarlatinae ut plurimum Isthmitidem constituere, quo ergo haec gravior adfuerit, quo magis extenditur, et quo majorem nisum inflammationis in gangraenam observamus, eo plus metuendum esse per se patet. Sed Scarlatina cito lethalis fuit in illis etiam casibus, ubi vix vestigia Isthmitidis praesentia fuere. Plus periculi adferunt adfectiones cerebri, quae nonnullas epidemias constanter insequuntur, et quae spem fere omnem medico aegrum restituendi, et aegro sanitatem pristi-

nam recuperandi adimunt. Aliarum partium, ut pulmonum, organorum abdominalium inflammationes rariores sunt, et minori periculo stipantur.

3tio A copia exanthematis. Ubi maculae per totum corpus extenduntur, magis evolutae sunt, periculum majus est. Dantur tamen casus etiam contrarii, ubi penes paucas maculas, vel plane absentes, aeger subito mortis praeda evasit.

4to A Duratione morbi. Quo morbus recentior, eo prognosis laetior, quo diutius durat, eo infaustior: Lethalis ut plurimum est Scarlatina in secundo, et tertio stadio; stadium quartum ob metastases diversas periculum involvit.

5to Ab aetate, et constitutione individuali aegri. Aetate teneriori infantili prognosis infausta evadit per dentitionem, atque per vermes, sub quibus adjunctis infantes in adfectiones varias morbosas organismi universi magis ac secus inclinant. Quo aeger robustior, eo facilius morbum superat. Observantem tamen Cel. Richter hi facilius succumbunt, quoniam in illis status inflammatorii varii generis citius evolvuntur, quam in individuis debilioribus.

Momenta specialia, quae medicum in prognosi pronuntianda dirigere possunt, juxta Cel. Richter sequentia statuuntur.— Si evoluta jam exanthemate febris et Isthmitis eadem adhuc perdurent intensitate; signum malum est, adhuc pejus, si id etiam sub stadio desquamationis contingat.— Si exanthema subito e cuti dispareat, semper periculosum est.— Si durante Isthmitide partes colli etiam externae intumescant, et doleant, id signum boni ominis auctor celebris statuit.— Morbum gravem, in specie encephalidem praenuntiat similis inflammatio membranae mucosae narium; se manifestans per obstructionem ac corysam narium. Adhuc pejus est, si eodem tempore ex naribus, ac ore effluens mucus; labia oris, ac partes per quas defluit, excoriat.— Mortem apoplecticam proxime insecuturam praes

nuntiat sopor continuus. — Si sub stadio efflorescentiae nisus ad urinam evacuandam adsit, et urina aquosa, copiosa evacuetur, periculum adest gravissimum, quia in hoc casu plerumque exanthema e cuti evanescit, et lethales adfectiones cerebri, ac menyngum insequuntur. Si sub decursu Scarlatinae petechiae ac miliaria in cuti compareant, signum periculosum est. Hydropem praedicimus, ubi palpebrae sub stadio desquamationis intumescunt, et urinae excretio vel difficulter procedit, vel vero penitus supprimitur.

T h e r a p i a.

Cum ex descriptione pateat, Scarlatinam morbum constituere gravissimum, hominibus periculosissimum, quo epidemice grassante, plurima milia hominum enecantur; hinc medici omni tempore conatus suos eo convertere studebant, ut prophylactica quaedam remedia ad morbum praecavendum detegerent, quibus dispositionem in hominibus praesentem et latissime diffusam delerent. Varia hunc in finem proposita sunt pharmaca. — Sic Eichel (Acta regiae societ. med. Havniens. Vol. 2. pag. 42) commendat diaphoretica, quia observavit tempore epidemiarum, quod homines, qui aegrorum ex Scarlatina decumbentium curam gerebant, absque causa manifesta in sudorem largiorem inciderint, si nunc sudorem hunc suprimebant in scarlatinam inciderunt, si vero fovebant, a morbo immunes manserunt. — Vithering (Husfeldts Journal vol. 13. St. 4. p. 79.) svadet emetica, Kreisig mercurium dulcem; — Struve fumigationes cum acidis mineralibus. — Currie perfusionem cum aqua frigida, sed omnia haec remedia optatum effectum non praestiterunt. Cel. Hahnemann sibi vindicavit gloriam, prophylacticum in Scarlatina inveniendi, prout id exponit in opere (Heilung und Verhütung

des Scharlachfiebers) proponit vir ingenuosissimus belladonnam. Observavit enim quod belladonna homini sive sano, sive aegro exhibita, producat in cuti maculas, Scarlatinae similes. Sic autem commendat praeparationem remedii: manipulus unus foliorum recentium belladonnae, tempore quo flores nedum expliciti sunt, in mortario conquassantur, succus per linteam exprimitur, et statim effunditur ad phialam porcellaneam; tractui aeris sicci exponitur, intra paucas horas evaporat, spatula commovetur, et aequabiliter extenditur usque siccitatem plenam ut pulverisari possit, pulvis in vitro bene clauso conservatur.— Dum usus instituitur remedii, granum unum pulveris cum 100 guttis aquae dest. simpl. terendo in mortario bene miscetur. Solutio opaca funditur in vitrum unius unciae, mortarium adhuc eluitur cum 300 guttis spiritus vini diluti, miscetur cum solutione, et signatur solutio belladonnae fortis. Una gutta hujus misceatur cum 300 guttis spir. vini diluti, agitando per minutum, et signetur: Solutio belladonnae media. Hujus solutionis gutta una miscetur cum 200 guttis Spit. vini diluti agitando per minutum, et signetur: Solutio belladonnae debilis, haec ultima in usu est. Hujus gutta una continet in se 24 millionesimam partem grani unius belladonnae. Tempore epidemiarum scopo prophylactico commendat pro ratione aetatis a guttis duabus usque 40 omni 72-a horae semel exhiberi. Vitae regimen consuetum observatur, tantum evitari debent refrigerium, acida vegetabilia, ut acetum, fructus acidi. Ubi belladonna effectum nimium exeruisset, supprimitur actio illius per opium. Belladonnam Ccl. Hahnemann qua specificum contra unam tantum speciem Scarlatinae nimirum glabram commendat, contra miliarem vero Aconito majores laudes tribuit. Haec laudes remedii excitabant medicos ad

observationes cum hoc remedio instituendas. Cel. Bernt, et alii medici Germaniae, ipse Hufeland laudes has decantabant. Hic plura sunt instituta experimenta, quibus nec illud quidem probatum est, quod Cel. Hahnemann defendebat, si diathesis non deleteretur, saltem imminueretur ita, ut Scarlatina mitior evaderet; nam subjecta quaedam penes usum belladonnae homœopathice exhibitum, in morbum gravissimum inciderunt. Nec Kreisig et alii virtutem specificam prophylacticam hujus remedii comprobant. — Quamvis virtus remedii a Cel. Hahnemann propositi nedum omnimode comprobata sit, ratio tamen svadet, ut donec aliud certius detectum non fuerit, tempore necessitatis belladonna exhibeatur, ita jubet etiam dirigens *Dicasterium in Regno Hungariae*.

Postquam Medici observassent, nullum prophylacticum contra Scarlatinam dari remedium, coacti sunt cogitare de pharmacis, quibus aegri Scarlatina infecti curari possint. Methodus curandi diversa fuit pro diversa Theoria medicinae vigente. Sic tempore Sydenhami viguit methodus Alexypharmaca, quam Boerhaave cum antiphlogistica tardius conjunxit. Aetate Brownii Scarlatina pro morbo Asthenico declarata, stimulantibus tractari debuit. Cel. Stieglitz methodum antigastricam pro principali habuit, ideo statim sub exordio morbi emeticum, tardius vero purgantia imprimis Magnesium sulfuricam commendat. Quamvis negare non possimus emetica, frequentius vero purgantia remedia saepe saepius indicata esse, non tamen sive unum, sive alterum in omni casu commendamus, nam observante Cel. Brussais adest in aegris Scarlatina adfectis gastro enteritis, hoc ergo in casu manifeste nocerent; indagandum proinde semper est antequam illa praescribantur, an non adsit inflammatio ventriculi ac intestinorum.

Post Cel. Stieglitz, Prof. Berolinensis Reich

se annunciavit ut reformatorem totius medicinae, denegavit indolem contagiosam Scarlatinae, et morbum ad evolutionem corporis necessarium esse statuit. Cum vero sub decursu morbi caloricum in corpore vehementius evolveretur, hinc frigus ubique commendat, cubile frigidum, lotiones cum aqua frigida, nec ullam internam medicinam. Sed anno sequenti Collega ejus Hekker retulit historias funerum per methodum Reichii productorum.

Nos diversas Theorias Virorum in arte nostra celeberrimorum perlustrantes, concludimus nullam dari specificam, Scarlatinam curandi methodum, sed haec diversa est, pro diversa natura morbi, atque pro diversitate febris concomitantis. In exordio Scarlatina ut plurimum characterem inflammatorium mitiorem habet, hinc causae morbum exasperare valentes, sollicite sunt vitandae; cavendi sunt errores diaetetici, diaeta tenuis, vegetabilis, aqua pura sufficiunt. Vitandus est aestus nimis, nam ut stimulus nocet, sed nec convenit frigus majus, nam perspirationem cutis, ac evolutionem debitam Scarlatinae impedit. — Pro pharmaco ordinari possunt decocta emollientia, althaeae, malvae, hordei, infusum florum tiliae, etc. tepidiuscule sumta; ubi febris intensior esset, sal glauberi, sal amarus, sal polychrestus Segnetti, cremor tartari, terra foliata tartari; ubi sitis major est, ac calor corporis vehementior, his addi possunt nitrum, emulsiones, oxymel simplex, sirupus ribium, berberis, mororum, rubi idaei, citri; si alvus sit obstipa clysmata exhibeatur.

Ubi haec methodus antiphlogistica mitior non sufficeret, ubi febris inflammatoria gravior adesset, vel plane etiam inflammationes topicae cerebri, faucium, laryngis, pulmonum, cordis, et vasorum majorum, ventriculi, intestinorum, aut aliorum viscerum evolverentur, ibi methodus antiphlogistica strictior necessaria est, sanguinis eva-

cuatio in adultioribus, robustis, plethoricis universalis, in infantibus vero ac pueris nec non debilio-ribus topica, hyrudinum ope, quae adplicantur diverso numero, nec non partibus diversis. Si haec sanguinis evacuatio recto tempore suscipiatur, post usum illius symptomata ominosa ut plurimum disparent, vel tantum decursus Scarlatinae mitior redditur. Cautè tamen depletionè hac sanguinis utendum, ne sanguinis evacuatione ultra justos limites instituta, evolutio morbi cohibeatur, debita organismi reactio impediatur, crises salutares supprimantur, febris perversae indolis adducatur. Ubi symptomata encephalitidis post institutam sanguinis evacuationem non cessarent, ibi Calomela optimo cum effectu exhibetur. Sic jam Cel. Kreisig in epidemia Wittenbergae 1802. regnante, maximam utilitatem ab hoc remedio expertus est, ita ut pro specifico declararet. Exhibemus tenerioribus gr. 1. adultioribus gr. 2, 3—4 cum Sach. omni bitorio, donec necessitas ejus usum expostulat.

Si haec bina remedia ad morbi symptomata imminuenda non sufficerent, perfusiones frigidae, juxta sequentes regulas instituendae, commendantur:

1. Non adhibeantur in Scarlatina mitiore, et juxta normam decurrente.

2. Vetant usum aquae frigidae inflammationes topicae, per evacuationes sanguinis nondum lenitae, et cutis juste transpirans.

3. Adhibeantur in primo morbi stadio, febre vehementiore, calore corporis nimio, cute sicca et ardente, capitis obnubilatione, inquietudine, delirio gravi, et vehementiore faucium inflammatione praesentibus.

4. Prosunt etiam in secundo morbi stadio, ubi exanthema Scarlatinae non rite evolvitur.

Per haec pauca remedia justo tempore adplicata, status inflammatorius sopitur, et morbi evolutio

ulterior persaepe impeditur. Sed non raro in individuīs debilibus, perverse tractatis status nervosus evolvitur, tunc alia remedia, quae processum illum dynamico - organicum abnormem immutare, languentem energiam vitae exaltare valent, indicata sunt. Hoc in casu balneum tepidum, vel majori debilitate praesente balneum aromaticum, vel cum alcalibus paratum optime prosunt. Ad remedia haec externa adhuc referuntur in hoc stadio epispastica, synapismi, empl. canth. vel ung. antimoniale. Praeter haec remedia externa, etiam interna adhibeantur, ut: Camphora, Valeriana, Angelica, Arnica, liquores aetherei, moschus, ammonia. — Ubi vero status adest putridus, aut putrido nervosus, corticem peruvianum, acida mineralia, imprimis acidum vitr. dilutum, vel acidum muriaticum oxygenatum adhibemus.

Ubi per haec remedia Scarlatinam feliciter in stadium desquamationis deducimus, in hoc summi momenti indicatio est, ut hydrops, et alia mala posthuma praecaveantur, hinc aegro quietem adhuc commendamus, in lecto, v. cubili manere jubemus. Cel. Hufeland in hoc stadio svaedet Calomelam, non ut purgaret, sed ut systema lymphaticum excitet, et si quod adhuc contagium residuum est, e corpore eliminat. Si debilitas aegrum torqueat, chinacea, ac amara exhibeantur. Peculiaris attentio dirigenda est in urinae excretionem, si haec non debite procedat, mox diuretica exhibeantur.

Isthmitidis cura fere cum ea exanthematis congruit. Ubi proinde inflammatio adest gravior faucium, hyrudines adplicantur, externe inunctiones cum linimento volatili scopo conveniunt; praeterea collutoria ex infuso salviae cum aceto ac melle ordinantur. Saepe antispastica nuchae imposita, curam adjuvant, saepe vero collutorium ex unciis 4 sirupī mororum, additis 30 guttis acidi sulph. diluti juxta Cel. Richter aegro levamen adfert. Ubi fauces

inflammatae gangraescunt, ob summam ichoria destillantis acredinem, aegrotantes moneantur oportet, ne eundem vel solum, vel cum cibus ac potu deglutiant, sed collutoriis e faucibus educant. Sunt vero haec collutoria partim jam supra memorata, vel vero decoctum corticis peruviani cum melle, nec non tinctura myrrhae. Ipsa scarificatio tonsillarum, interdum profuisse inspecta est.

Inter morbos posthumos Scarlatinae peculiarem attentionem meretur hydrops, qui vel est acutus, vel chronicus, uterque juxta principia universalis hydrophis sanatur.

T h e s e s.

1. Sanitas non datur absoluta, sed tantum relativa.
 2. Necessitas reitrandae venae-sectionis ex crusta phlogistica sola non est desummenda.
 3. Scarlatina est contagiosa.
 4. Contra Scarlatinam insigne in aqua frigida praesidium.
 5. Qui foetum quocunque graviditatis tempore expulerit, homicidii reus est.
 6. Non datur venenum absolutum.
 7. Vinum plus prodest, quam nocet.
 8. Respiratio animalium eo perfectior, quo motus eorum multiplicior est.
 9. Physiologia est praecipuum pathologiae praesidium.
 10. Affectus animi sicut saepe causam, ita non raro medicamen diversorum morborum constituunt.
 11. In aëre atmosphaerico princeps latet vitae pabulum.
 12. Narcotica non stimulo positivo, ut quidam volunt, sed potius negativo agunt.
 13. Medicinae perfectio, Religionis ministris multum in acceptis refertur.
-